

V. 008

alte No. 234.

Wallerstein

n. 5 westeurop. Schrift

Q. VII. 93.

PIA ET NE-
CESSARIA DECLA-
RATIO CATECHISMI, EX
verbo DEI in breues quæstio-
nes & responiones
digesta.

QVO PACTO ILLAE IN
DVCATV BIPONTINO, EX
mandato summi ibidem Magistratus, ab
Ecclesiarum & Scho'arum ministris, ad
Populum & iuuentutem exerceri debeant,
eo fine, vt ab idolatria, superstitione, & fal-
sa doctrina, sibi cauere melius quisq; possit.



Verbum DEI manet per omne seculum,

ANNO clō Id XIIC.

PIA ET
CESSARIA DECIA
RATIO CARBONUM EX

PROFICIT IN ANNO
DNI MDCCLXXVII
MDCCLXXVII

I
D
NV
Ve
fi

quàn
stri
atern
te, e
ex ill
bris,
lunta
tales
desist



P R A E F A T I O .

IOHANNES
DEI GRATIA, PALATI-

NVS RHENI, DVX BAVARIAE, COMES
Veldentiae & Sponheim. &c: Vniuer-
fis & singulis Ducatus nostri Bi-
pontini Superattendentibus,
Pastoribus, Ecclesiarum
& Scholarum Mini-
stris. S. D.



*Non dubitamus, quin & ipsi,
& fideles subditi nostri,
aequè ac nos ipsi, & qui ad
nos pertinent, sepe secum
etiam atq; etiam in animo
non perpendant solùm,
quàm tetrìs Idolatriæ erroribus maiores no-
stri sub Papatu seducti fuerint: sed etiam,
æterno Deo, quòdis, & ipsos maxima ex par-
te, & nos, pro immensa misericordia sua,
ex illis horrendis Papistica Idolomania tene-
bris, liberauerit, & ad cælestis verbi & vo-
luntatis suæ agnitionem perduxerit, immor-
tales unà nobiscum gratias agere nunquam
desistant.*

A 2

Postea-

P R A E F A T I O .

Posteaquàm verò experientia nos in hisce postremis & periculosis temporibus docet, non modò quàm atroces persecutiones Pontifex Romanus, tanquàm verus Antichristus, unà cum suis complicibus de integro nunc instituat, contra eos, qui Dei gratiã ab ipsius impietate discesserunt, ut eos seu dolo, seu vi, rursus suo regno & Tyrannidi subiiciat: verùm etiam, quandoquidem à papatu propè circumdati sumus, quòd turpis luteri & vanitatis huiusmùdi gratiã, penè, probolor, eò deuentum est, ut Papistica illa Idolomania pro re leui ducatur, nec non usu veniat, ut propter intestinas contentiones, & propter fœdam in lectione Sacrae scripturae, & Catechismi exercitio negligentiam, Pontificia superstitione, & alij errores quasi post liminio in has terras, reuocatum iri videantur: Adeoq; nos, tam sponte nostrã, quàm ab alijs moniti, officij nostri esse duxerimus, ut quod ad amolienda talia incommoda, tam in hac re, quàm in alijs pij Magistratus officijs, pertineret, studiosè, quoad Deus suam gratiam nobis largiretur, exequeremur. Quam quidem ad rem, ut par est, prompti paratiq; sumus.

Itaq;

P R A E F A T I O .

Itaq; post multiplicem & maturam
consultationem, nulla nobis, ad ingruenti-
um malorum prohibitionem, & ad futuro-
rum damnorum à nostris nostrorumq; cerui-
cibus amolitionem, commodior visa ratio
fuit: quam ut predictos in Ducatu nostro
Ecclesiarum & Scholarum ministros nobisq;
à Deo commendatos subditos & auditores,
pariter & nostros omnes, ad seriam cohorta-
remur considerationem, eius, quæ nobis &
Maioribus nostris concessa à Deo gratia est,
verbi & voluntatis diuinæ cognitionis: tum
ut eosdem, ex animo & zelo Christiano ad-
moneremus, ut ij, pænarum, quas ob ingra-
titudinem nostram experimur, & undiqua-
que ob oculos versari videmus, atrocitate
perpensa, ad seriam pœnitentiam conuersi, si-
bi, à pijs precibus, à sedula lectione & audi-
tione verbi, & assidua Catechismi exercita-
tione, & à fideli institutione Iuuentutis ni-
hil faciant reliquum.

Animaduertimus etiam, quod quo-
rundam, tum iuniorum tum seniorum ani-
mis multæ Papistica adhuc insideant opinio-
nes, ex quibus facile, nisi maturè ijs obuiam
eatur, vel his ipsis periculosis temporibus, vel
certè,

P R A E F A T I O .

certè, quod Deus clementer auertat tempestate secutura, maior pernicies, & à veritate defectio, tetriq; errores existere possent.

His malis, quantum eius fieri potest, commoda ratione medendis, pias & breues has quaestiones, dilucidiori cat echeseos explicationi deseruituras, à doctis & pijs Ecclesiae ministris componi, & vsui atq; bono subditorum in praesentia publicari curauimus. Idq; eo fine, vt necessaria nostra religionis doctrina, dextrè & ad normam verbi Dei doceatur, & tenera iuuentus, ceteriq; homines contra inualescentes errores magis praemuniantur.

Cumq; praedictae quaestiones, & cum verbo Dei, & cum orthodoxis Ecclesiae Christianae symbolis consentiant: clementer nobis de subditis & eorum liberis familijsq; pollicemur, fore, vt non solum ipsi sui in vera Religione erudiendi, & errores praecauendi gratiâ, eas quaestiones, saepè & diligenter discant, legant, custodiant atq; ad posteros propagent (: qua quidem in re, nullam neq; difficultatis neque simplicitatis suae excusationem, intempestiuè praetendent:) Sed etiam, vt Ecclesiarum & Scholarum nostrî

PRÆFATIO
noſtri Ducatus miniſtri vniuerſi & ſinguli,
prædictis de cauſis, & ratione officij ſui, ſe-
metipſos in ijs exerceant, & eaſdem vberio-
ri, & ex verbo Dei petita declaratione, audi-
toribus ſuis explanent atq; inculcent. Qua
in re plus apud ipſos Dei mandatum, quàm
vllius hominis ſcripta priuata, affectus atq;
authoritas valere debet.

Neg; verò interea eſt, cur vllus vlla
ratione ſibi perſuaderi patiatur, atq; imagi-
netur, quaſi nos, vllum nouum, ne dum fana-
ticum aliquod dogma introducere, aut ipſam
ordinationem Eccleſiaſticam, quæ hætenus
in hoc Ducatu in vſu fuit, abolere ſataga-
mus per id, quòd nos diutius ſuperſedere non
potuimus, quin operam daremus, vt per bre-
ues has Catechiſmi quaſtiones quadam abu-
ſum reliquia, & recens oborta opiniones
propter imperitum & indoctum vulgus,
clarius, atq; hætenus factum eſt, ex verbo
Dei indicentur, cum vt viuentes erudiantur,
& poſteri ab erroribus conſeruentur, tum vt
tantò ſolidius, quæ de huius Ducatus do-
ctrina falſa & fictitia paſſim ſparſæ calu-
mniae ſunt, ex verbo Dei refutentur. Vti
quidem Deo volente, ad reprimendas huius-
modi

P R A E F A T I O.

modi calumnias & falsas accusationes. Apologia uberior, primo quous, quoad eius fieri poterit, tempore, subsequetur, atq; typis publicabitur.

Et quia homines ex suggestu & aliâs, intempestivis calumnijs & condemnationibus multifariam offensi hæctenus atq; miserè implicati sunt, quod ad gloriam Dei nihil, ad impediendum verò Euangelij cursum plurimum momenti habet: Ideò nos, tanquam Christianus Magistratus, omnibus Ecclesiarum & Scholarum nostri Ducatus ministris, in præsentia, mandamus, ut ab huiusmodi calumnijs, criminationibus, conuicijs atq; condemnationibus, & in suggestu & alibi, in posterum planè abstineant. Contra verò, Dei verbum, sicut id in Biblijs continetur, diligenter legant, textum sibi familiarem reddant, in eo se assidue exerceant, Deo & Ecclesiae secundum normam verbi Dei, fideliter inserviant, Catechismum & Christianam ipsius declarationem in antè nominatis questionibus propositam, suis, atq; auditorum animis benè atq; accuratè infigant, conaciones suas ad illam conforment, novas & falsas phrases & opiniones prorsus omittant, & in

P R A E F A T I O.

& in genere, auditoribus suis, orthodoxâ do-
 ctrinâ & honestâ vitâ, bonum exemplum
 præbeant, communem etiam verâ Ecclesie
 concordiam, & quæ maximè necessaria est,
 Christianam pacem, quantum in ipsis est,
 sanctam tectamq; seruare & promouere alla-
 borent: Deumq; ut is ad hæc omnia suam gra-
 tiam & benedictionem perpetuò largiatur,
 nosq; & posteros nostros in agnitione sui ver-
 bi, contraq; persecutiones Diaboli & mundi
 in pace bonâ custodiat, ardentibus votis in-
 desinenter inuocent atq; precentur. Qua
 in re & Dei seuerum mandatum, & nostram
 utpote Christiani & sibi à Deo præpositi Ma-
 gistratus clementem voluntatem exequen-
 tur. Quod ipsum cedit ad Dei gloriam, &
 cursum Euangelij promouebit, & impenden-
 tes Papistarum & aliorum errores, auertet.
 Ita fiet, ut ipsi Ecclesiarum & Scholarum Mi-
 nistri, meliori cum conscientia diligentiusq;
 & utiliùs officio & ministerio suo præesse, &
 à Deo mercedem vberiore, & à nobis atq;
 alijs auditoribus, plus honoris, promptioremq;
 in diuinis rebus obedientiam, & ab alijs ma-
 iorem beneuolentiam sibi polliceri possint.
 Id ipsum ut præstent, pro nostra persona, &

A S

pro of-



P R A E F A T I O.

pro officio, quod gerimus, seuerè nunc, & diligenter eos admonitos esse volumus.

Et quanquam ab ipsis nihil aliud nobis, quàm debitam obedientiam promittimus: tamen, (. praterquàm quòd ij qui se morigeros præbebunt, suo id cum emolumento facturi sunt:) nihilominus & nos, ipsos de clemente nostra voluntate, & fideli patrocinio certos esse iubemus.

Si qui verò sunt, qui peruicaciter his sese opponent, & in posterum scandala excitare conabuntur: eos, vt à iusta nostra correptione & seuera animaduersione sibi caueant, vna hac admonitione, quæ vice multarum ipsis erit, etiam atq; etiam monemus.

Et quoniam adhuc passim in templis, & alijs nostri Ducatus locis, varia & Idolatrica supersunt imagines, exuuiæ Missaticæ, vestes chorales, atq; alia huiusmodi à Papa in Ecclesiam Christianam introducta, quæ à peregrinis & alijs, adorantur, & pro sacrosanctis honorantur: quæ tamè omnia Dei verbo repugnât, & pio magistratui seuerè à Deo præceptum est, vt huiusmodi Idolatricas superstitiones, & qui adhuc reliqui sunt abusus, tollat atq; aboleat: Ideò & apud nos constitutum habemus, talia,

P R A E F A T I O.

talia, in nostro Ducatu abolere, nosq; ad solius Dei verbum, quantum omnino eius fieri potest, conformare, & à Papisticis abominationibus, alijsq; erroribus, magis magisq; nos seiungere. Contra verò, quicquid ad Christianam concordiam, iuxta normam verbi Dei facere videbitur, id unà cum alijs pijs Christianis, quatenus suam nobis Deus gratiam impertiet, ipsius auxilio, pro virili, & summa ope promoveri studebimus.

Simul autem hic omnibus nostris, aule praefecto, Cancellario, consiliarijs, superioribus & inferioribus praefectis, mandamus, ut ipsi omnia haec, quae supra scripta sunt, non minus quàm alias nostras constitutiones & ordinationes, seuerè & diligenter urgeant atq; tueantur, utq; singula illa primo quouis tempore effectui mandentur, ordinarijs Ecclesiarum ministris, subsidiariam, quantum ab ipsis officij ratione exigitur, opem ferre non detrectent.

Si qui obstinatè istis sese opposituri, aut alia aliqua incommoda ex aduerso euentura esse videbuntur, ijs ipsi pro officij ratione, quamprimùm obuiameant, aut de grauioribus casibus nos ipsos tempestiuè, ut necessaria & conueniens, in re quauis decerni

P R A E F A T I O .

cerni à nobis agendi ratio possit, consulant.

Quæ uniuersa & singula, quoniam à nobis, ut pium Magistratum decet, ad solius Dei gloriam, ad nostri & nostrorum, nec non subditorum & posterorum consolationem & institutionem directa sunt, & cum pietatis, beneuolentiae & sinceritatis studio coniuncta: nobisq; quòd cum verbo & mandato Dei conueniant, ex eodem Dei verbo, exacta in conscientia nostrâ certitudinis ratio est: nec ullam humanam gloriam, auctoritatem, rem, aut compendium proprium captamus aut respicimus.

Idcirco æternum Deum autorem pacis & fontem omnis concordiae, toto pectore rogamus, ut nos omnes in agnitione veritatis, contra omnem vim & fraudem satanae & mundi, perpetuò conseruet, & ad institutum hoc opus, ut Ecclesiae utilitati seruiat, diuinam benedictionem, firmam pacem, in aduersis consolationem, & omnia quæ ad animæ & corporis nostri salutem necessaria sunt, pro diuina sua voluntate, impertiat & concedat: Nobisq; post caducam hanc vitam, æternam beatitudinem, ex mera gratia, propter unicum filij sui Iesu Christi meritum, assisten-

PRÆFATIO.

assistente Spiritus sancti gratia, benignè do-
net & largiatur. Amen. Datum Biponti
die. 18. Martij, Anno à partu redemptoris &
saluatoris nostri Iesu Christi, Mil-
lesimo quingentesimo octuage-
simo octavo.





QVAESTIONES CHRIS-
TIANAE, AD VBERIOREM a Deut. 6. 9.
2. Tim. 1. 12.
Catechismi explicationem, uti-
les ac necessariae ^a.

QVÆSTIO.

Cuius es Religionis?

b Act. 11.
26.

RESPONSIO.

Religionis Christianæ ^b.

1. Co. 1. 11.

c Iob. 3. 39.

2. Ti. 3. 15. 16.

QVÆSTIO.

Vnde hoc scis?

RESPONSIO.

Inde quòd baptizatus sum in no-
mine Dei patris, & Filij & Spiritus
sancti ^d: quodq; in Iesum Christum
credo ^e, qui me à peccato ^f, morte & po-
testate Sathanæ liberavit ^g, & Spiri-
tum sanctum arrhabonem in cor me-
um effudit ^h.

d Mat. 28.
19.

e Act. 2. 37.

f Mat. 1. 21.

g Ebr. 2.
14.

h 2 Co. 3.
22.

Eph. 1. 14.

Rom. 8. 16.

Deut. 6. 1.

Heb. 5. 12.

QVÆSTIO.

Quæ sunt igitur capita Christia-
næ doctrinæ, cuiuslibet Christiano
scitu & creditu necessaria ^a?

RESPONSIO.

Hæc

DE DECEM

b Exo. 20.

Mar: 22.

38.

c Io. 1. 17.

Heb. 6. 2.

d Mar. 6. 9.

e Mar. 16.

19.

f 2 Co. 5. 18.

g Mar. 3. 2.

Heb. 6. 1.

h Mr. 16. 16.

i Ma. 26. 26.

Mr. 14. 22.

Lu. 22. 19.

j. Co. 11. 23.

k. Co. 10. 16.

Hæc sex: Primum decem præcepta, tanquam summa Legis diuinæ^b.

Secundum: Symbolum Apostolicum, tanquam summa Euangelij^c.

Tertium: Oratio Dominica, siue precatio^d.

Quartum: Ministerium clauum^e, seu Ministerium reconciliationis cum Deo^f, & de pœnitentia Christiana^g.

Quintum: Sacramentum Baptismi^h.

Sextum: Sacramentum Cœnæ Dominiⁱ.



I.

De decem Præceptis.

QVÆSTIO.

Quodnam est primum Christianæ do-

ctrinæ caput?

a Ex. 34. 28.

Deut. 4. 13.

RESPONSIO.

Decalogus siue decem Dei præcepta^a.

QVAE-

P R A E C E P T I S.

Q V A E S T I O.

Quomodo diuiduntur haec Praecepta?

R E S P O N S I O.

In duas tabulas^b, quarum prior^{b Ex:34.28.}
quatuor praecipis tradit, quo pacto^{Deu: 5.13.}
nos erga Deum gerere: posterior sex^{c Mat. 22.}
praecipis, quae officia proximo praesta-
re debeamus, ostendit^{38. 39.} c.

Q V A E S T I O.

Recita decem Praecepta Dei?

R E S P O N S I O.

Decem Praecepta sic describuntur
exodi vigesimo, & repetuntur in Deu-
teronomio quinto capite.

Locutus est Deus cunctos sermones hos:

Primum Praeceptum.

*Ego sum Dominus Deus tuus, qui e-
duxite de terra Aegypti, de domo seruitutis:
Non habebis Deos alienos coram me.*

Secundum.

*Non facies tibi sculptile, neque ullam si-
militudinem eorum, quae sunt in caelo sur-
sum, neque eorum, quae in terra deorsum, neque
eorum, quae in aquis sub terra, non adorabis*

B

ea neque

DE DECIM

ea neq̄, coles: Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia, qui diligunt me, & custodiunt praecepta mea.

Tertium.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Neq̄, enim insonem habebit Dominus eum, qui assumserit nomē eius in vanum.

Quartum.

Memento, ut diem sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: at septimo die sabbathū erit Domino Deo tuo. Non facies vllum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec seruus tuus, nec ancilla tua, nec iumentum tuum, nec aduena, qui est intra portas tuas: Nam sex diebus fecit Deus caelum, terram, mare, & quaecunq̄, in ijs sunt, & requieuit die septimo, ideoq̄, benedixit diei sabbathi & sanctificauit eum.

Quintum.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longeuus super terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est.

Sextum.

Non

P R A E C E P T I S.

Non occides.

Septimum.

Non mæchaberis.

Octauum.

Non furtum facies.

Nonum.

*Non loquêris contra proximum tuum
falsum testimonium.*

Decimum.

*Non concupisces domum proximi tui, nec
concupisces uxorem proximi tui, nec seruum
eius, nec ancillam, nec bouem, nec asinum, nec
quidquam eorum, quæ sunt proximi tui.*

Q V A E S T I O.

*Quid discis ex Decalogo, seu, Quæ est uti-
litas & usus Decem præceptorum?*

Primum ex decem Præceptis disco,
quid mihi faciendum, quidve omit-
tendum sit ^a. Quia verò decem præce-
pta perfectè seruare nequeo ^b, ideò se-
cundò ex decem Præceptis, corruptio-
nem meæ naturæ ^c, multiplicia pecca-
ta ^d, & damnationem agnoscere disco ^e,
vt hoc modo alibi, videlicet apud Chri-
stum, misericordiã & iusticiam querã ^f.

^a Eze. 20. 19

Deut. 4. 10

^e 2.

^b Ro. 3. 10.

1 Io. 1. 8.

^c Ge. 8. 21.

Ro. 8. 7.

^d Ps. 51. 7.

Ro. 7. 8. 23.

^e Deu. 27.

26.

^f Gal. 3. 24.

Rom. 10. 4.

B 2

Tertiò,

DE DECEM

g *Deu. 12.* Tertiò, vt secundum normam deca-
^{32.} h *Gal. 4.6.* logi g, per gratiam Spiritus sancti,
i *Mat. 22.* quem Dominus meus Christus, omni-
^{57.} bus credentibus impertit^h, Deum &
k *Eph. 4.* proximum meum diligamⁱ, piè viam,
^{22.} atq; ita magis magisq; ad imaginem
Dei renouer^k.

QVAESTIO.

a *Ma. 19.16.* Annon igitur bonis operibus salutem
b *Gal. 2.16.* promeremur^a?
Luc. 17.10.

RESPONSIO.

Ro. 7.23. Minimè vero^b. Præstantissima
Ies. 64.6. enim renatorum quoq; opera, in hac
vita, immunda sunt, & imperfecta.

QVAESTIO.

Quamobrem igitur nos pietati stude-
re, & bona opera facere debemus?

RESPONSIO.

a *Mat. 7.17.* Vt ijs fidem nostram declaremus^a,
Iac. 2.17. erga Deum grati fimus, proximo fer-
Mat. 5.16. uiamus, alijsq; bono exemplo prælu-
Pet. 2.9. ceamus^b. Hæc opera placent Deo in
b *I Pet. 3.1.* credentibus^c, propter Christum Me-
c *Ro. 14.23.* diatorem^d.
d *I Pet. 2.5.*
Eph. 2.14.

De



II.
De Symbolo Apostolico.

Q V A E S T I O.

*Quod est secundum Christiane do-
ctrinae caput?*

R E S P O N S I O.

Fides Christiana, seu Symbolum
Apostolicum ^a.

^a Ro. 10. 9.
^b Ma. 10. 32.
^c Mr. 9. 23.
^d Eph. 4. 6.

Q V A E S T I O.

Recita Symbolum Apostolicum ^b?

R E S P O N S I O.

*Credo ^c in Deum patrem ^d omnipoten-
tem ^e, creatorem caeli & terrae. Et in Je-
sum & Christum ^h, Filium eius ⁱ, unigenitum ^k
Dominum nostrum ^l, qui conceptus est de
Spiritu sancto, natus ex Maria virgine ^m,
passus sub Pontio pilato, crucifixus ⁿ, mortu-
us ^o & sepultus ^p, descendit ad inferna ^q, tertio
die resurrexit a mortuis ^r, ascendit ad caelos ^s,
sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis ^t,
inde venturus est ^u iudicare vivos & mor-
tuos ^x. Credo in Spiritum sanctum ^y, san-
ctam Ecclesiam Catholicam ^z, sanctorum*

^c Ma. 19. 26.
^f Act. 4. 24.
^g Ma. 1. 21.
^h Lu. 2. 11.
ⁱ Io. 3. 16.
^k Ma 3. 17.
^l Lu. 2. 7.
^m Act. 10. 36.
ⁿ Lu. 1. 35.
^o Lu 23. 33.
^p Io. 19. 30.
^q Ma. 27.
60.
^r Eph. 4. 9.
^s Act. 10. 40.
^t Mr. 16. 19.
^u Eb. 8. 1.
^v Rom. 8. 34.
^w Act. 1. 11.
^x Ma. 25. 31.
^y Io. 15. 26.
^z I Ti. 3. 15.

DE SYMBOLO

a *Io.* 1. 3. *communione*^a, *remissionem peccatorum*^b,
Eph. 1. 22. 23 *carnis resurrectionem*^c, & *vitam eternam*^d,
 b *Act.* 10. 43. *Amen.*

c *1 Th.* 4. 16.

d *Ma.* 25.

46.

QVAESTIO.

*Quid discis ex symbolo Apostolico, seu,
 Quae est utilitas & consolatio symboli Apo-
 stolici?*

a *Io.* 17. 3.

b *Gal.* 3. 13.

Ma. 20. 28.

c *1 Co.* 1. 31.

Lu. 19. 10.

RESPONSIO.

Ex symbolo Apostolico praecipue
 disco, quid sit Deus^a, quis sit Redemptor
 meus^b, & quomodo iustus, sanctus &
 beatus euadam^c.

a *Ioh.* 4. 24.

Exo. 3. 14.

b *Den.* 6. 4.

c *Gen.* 17. 1.

d *Psa.* 90. 7.

e *cler.* 23. 24.

f *Dan.* 2. 21.

g *Psa.* 103. 8.

h *Psa.* 118. 1.

i *Pf.* 119. 137.

k *Ma.* 24. 35.

l *Leui.* 18.

m *Leu.* 19.

n *Psa.* 115. 3.

o *Exo.* 3. 14.

p *Mat.* 3. 16.

r *Ioh.* 5. 7.

s *Ioh.* 5. 39.

QVAESTIO.

Quid est Deus?

RESPONSIO.

Deus est essentia spiritualis^a, v-
 nica^b, omnipotens^c, aeterna^d, infinita^e,
 sapiens^f, misericors^g, bona^h, iustaⁱ, ve-
 rax^k, casta^l, pura^m, & liberrimaⁿ, in
 qua essentia tres sunt distinctae perso-
 nae, Pater, Filius, & Spiritus sanctus^o.

QVAESTIO.

Vnde hoc probare potes?

RES-

APOSTOLICO.

RESPONSIO.

Ex sacrosancto Dei verbo^a, in quo se Deus ita patefecit^b, tum ex symbolo Apostolico, in quo dico: Credo in vnum Deum, & interim nomino has tres personas, videlicet: Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Item, ex verbis institutionis Baptismi, vbi Christus ad discipulos ait: *Baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*^c.

^b Deu. 6. 4.

² Cor. 13. 13.

Gen. 1. 26.

Psal. 45. 8.

^c Ma. 28. 19.

QVAESTIO.

Quot sunt articuli principales in symbolo Apostolico?

RESPONSIO.

Tres.

QVAESTIO.

Quis est primus symboli Apostolici Articululus principalis?

RESPONSIO.

De Deo patre, de Creatione^a.

^a Esa. 42. 5.

QVAESTIO.

Quid credis de Deo patre?

RESPONSIO.

Quod is prima sit persona Deitatis^b, quę b¹ Cor. 8. 6.

DE SYMBOLO

c Gen. 1. 1. omnia ex nihilo creauerit ^c, & omnia
^{Pf. 33.}
d Ioh. 16. 27. sua prouidentia sustentet, ac propter
 Ioh. 20. 17. Christum filium suum etiam meus De-
 Ioh. 1. 12. us & pater sit ^d.

Q V A E S T I O.

Quid est prouidentia diuina?

R E S P O N S I O.

a Psa. 33. 11.
b Dan. 9. 14.
c Ro. 16. 27. Prouidentia Dei, est æternum ^a,
d Esa. 46. 10. iustissimum ^b, sapientissimum ^c, & im-
e Dani. 4. 32. mutabile Dei consilium ^d, secundum
 Thren. 3. 37. quod Deus omnia in omnibus creatu-
 Act. 14. 17. ris, pro sua voluntate, gubernat & di-
 Act. 17. 25. rigit ^e, ad suam gloriam & electorum
 26. hominum utilitatem & salutem ^f.

Q V A E S T I O.

*Quam utilitatem capis ex prouiden-
 tia diuina?*

R E S P O N S I O.

a Rom. 5. 4.
b Psa. 50. 15.
c Ma. 6. 31.
d Ps. 55. 23.
 Psal. 37. 5. Ut in aduersis patiens ^a, in secun-
 dis gratus ^b, & in futurum ita compara-
 tus sim, vt planè confidam, quòd hic
 meus omnipotens Deus & fidelissi-
 mus pater, optimè mihi sit prospectu-
 rus ^c, & omnes aduersitates ad bonum
 finem sit directurus ^d: Ideoq; ipsum
 inuocare

APOSTOLICO.

inuocare ^e, & vocationi meæ instare ^e *Lu. 18. 1.*
 debeo ^f. Sicut Christus dicit ^g: *Non-* ^f *Ro. 12. 6.*
ne duo passeruli asse ueneunt, & unus ex ijs ^{Ps. 91. 11.}
non cadet humi sine patre uestro? Vestri ^{2 Thes. 3. 10.}
verò etiam capilli capitis omnes numerati ^{Ma. 10.}
sunt, ne igitur timete: vos multis passerulis ^{29.}
præstatis.

QVÆSTIO.

*Quis est secundus symboli Apostolici
 articulus Principalis?*

2 Ro. 3. 24.

RESPONSIO.

De Deo Filio: de redemptione ^a.

QVÆSTIO.

*Quid credis de Filio Dei, & quis tuus
 est Redemptor?*

2 Ma. 1. 21.
b Psa. 2. 7.
1oh. 5. 23.
1oh. 10. 30.
c Luc. 1. 35.

RESPONSIO.

Credo quod Iesus Christus ^a fit
 secunda Deitatis persona ^b, Dei & Ma-
 riæ Filius ^c, verus & perfectus Deus ex
 substantia Patris ante secula genitus ^d:
 itemq; verus & perfectus homo ex
 substantia matris in seculo genitus ^e, ut
 meus sit redemptor ^f & iustificator ^g.

d 1oh. 1. 1.
Mat. 16. 16.
Pro. 8. 22.
23.
e Gal. 4. 4.
Luc. 2. 7.
Heb. 2. 14.
16.
f Eph. 1. 7.
1 Tim. 2. 5.
g Iere: 23. 6.
2 Co. 5. 21.

QVÆSTIO.

Quo λύτρω seu precio iste redemit?

B 5

QVÆ-

DE SYMBOLO

RESPONSIO.

a Phil. 2. 8.

b Luc. 2. 17.

c Ro. 9. 23.

Vniuersa sua obedientia^a, nempe sanctissima sua Incarnatione^b, passione, morte & resurrectione^c?

QVAESTIO.

Vnde hoc scis?

RESPONSIO.

a Luc. 24.

27.

Ex verbo Dei^a, & ex secundo symboli Apostolici articulo.

QVAESTIO.

Estne igitur Christus, in vna eademq; Persona & duabus distinctis naturis, verus Deus & verus homo?

RESPONSIO.

a Ma. 16. 16.

Ioh. 8. 58.

Rom. 9. 10.

Ies. 7. 14. &

9. 5.

b. Ioh. 1. 1.

c Ebr. 2. 14.

Gal. 4. 4.

Omninò, Christus verus Deus & verus homo est, in vna eademq; persona, & duabus distinctis naturis^a, diuina nempe^b & humana^c: Et propter hanc indissolubilem vnionem personalem, orthodoxè dicitur, quòd filius Dei

APOSTOLICO.

us Dei ex Maria natus fit ^d, quòd Deus ^d *Lu: 1. 35*
 nos suo sanguine redemerit ^e, & pro ^e *Act. 20. 28*
 nobis mortuus fit ^f, & ad cœlos, ascen- ^f *1 Cor. 2. 8.*
 derit ^g: sed secundum carnem, seu se- ^g *1 Tim. 3. 6.*
 cundum humanam suam naturam, ^h *1. Pet. 3. 18.*
 quemadmodum id Petrus. ^h *Mr. 15. 39.*
 1. Pet. 3. c. ⁱ *Luc. 1. 35.*
 declarat. E contrario etiam rectè di- ⁱ *1 Joh: 3. 13.*
 citur, quòd filius hominis verus fit
 Deus ^h, fit immortalis, omnipotens, &
 dum in terris existeret, simul in cœlo
 fuerit ⁱ, sed secundum eam naturam,
 quæ de cœlo venit, hoc est secundum
 diuinam naturam, quæ humanam as-
 sumfit & sibi personaliter vniuit, atq;
 ita hic homo, qui ex patribus est, quo
 ad carnem, idem est super omnes, Deus
 laudandus in secula, Rom. 9. 5. & 1.
 Pet. 3. 18. *Christus mortificatus est carne,*
viuificatus autem Spiritu. Item Rom. 1. 3.
Christus factus est ex semine Davidis secun-
dum carnem &c.

QVÆSTIO.

Vbi nam Christus nunc est sacrosancto corpore suo, seu secundum humanam suam naturam?

RES-

DE SYMBOLO

RESPONSIO.

2 Mr. 16

19.

Eph: 1. 20.

Col. 3. 1.

b 1 The: 4.

16. 17.

2 Tim: 4. 1

Act. 1. 11.

In cœlo ad dexteram Dei^a, vnde
venurus est iudicare viuos & mortu-
os^b.

QVÆSTIO.

*An verò hac ratione duæ Naturæ in
Christo non diuelluntur: si non sit natura
humana, ubicunq; est diuina?*

RESPONSIO.

2 Io. 3. 13.

Act. 7. 48.

Luc. 2. 12.

28, 46.

Mat. 28.

b Ierem 23.

24.

c Col. 3. 1.

Minimè verò: Nam primò, hoc
non est naturas diuellere si infinita de-
itas ac humanitate, quæ essentia & pro-
prietate finita, & in loco est, distingui-
tur^a. Deinde, ne potest quidem diui-
na natura, cum vbiq;, atq; ita etiam in
cœlo existat^b, ab assumpta humana na-
tura, quæ suprâ est^c, vlllo modo diuelli
atq; separari.

QVÆSTIO.

*Secundum quam Naturam Christus
noſter est Mediator, Saluator, Rex & sum-
mus Sacerdos?*

RESPONSIO.

Secundum vtramq; naturam, di-
uinam

APOSTOLICO.

uinam nempè & humanam^a. Nam oportuit eum verum hominem esse, ut pati, mori, & victima pro peccatis nostris esse posset^b. Sed idem etiam verus Deus esse debuit, ut per ipsum se vera ira Dei placari posset^c, & ut ipse resurgeret, hostes omnes devincere^d, nobisq; iusticiam & salutem perfectè repararet, & restituere valeret^e.

^a Tim. 2. 5.
Act. 20. 28.
Hebr. 7. 26.
1 Cor. 9. 14.
^b Heb. 2. 9.
^c Ro. 8. 3.
Ro. 5. 9.
^d Act. 2. 24.
1 Co. 15. 25.
^e Heb. 10. 14.

QVAESTIO.

Quia per sessionem Christi ad dexteram Dei Patris innuitur?

RESPONSIO.

Similitudine sessionis ad dexteram Dei^a indicatur exaltatio, dignitas^b, officium, & regnum huius Christi^c, quæ omnia ipse secundum utramque naturam, servatis tamen utriusque naturæ proprietatibus, possidet & administrat: ita ut humana eius natura non sit ipsa dextera Dei^d: Ea namq; revera est & manet humana natura, existens suprâ in cælo^e, nostræ resurrectionis pignus & testimonium^f.

^a Mat. 20. 23.
^b Psal. 8. 7.
Psal. 110.
Heb. 2. 7.
^c Lu. 24. 26.
Ioh. 7. 39.
Ph. 2. 9.
Eph. 1. 20.
^d Eph. 1. 22.
Mat. 28. 18.
^e Ps. 118. 16.
Io. 14. 28.
^f 1 Co. 15. 24.
Act. 7. 56.
Hebr. 8. 1.
Iob. 19. 25.
Phi. 3. 21.

Ephes: 1. 20. *Deus excitavit Christum*

DE SYMBOLO

stum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in caelis, longè supra omne imperium ac potestatem & potentiam & dominium & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro: & omnia subiecit eius pedibus, eumq; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ipsius & complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

1. Cor. 15. 25. Oportet eum regnare usque quo omnes inimicos subiecerit pedibus eius.

QVÆSTIO.

An verò Christus secundum humanam naturam non est omnipotens, & omnipræsens, cum ipse dicat: *Mihi data est omnis potestas in caelo & in terra* (:puta secundum humanam naturam, nam secundum diuinam, omnem potestatem iam ante, & ab æterno, habuit? :)

Mat. 28.
18.

Mat. 19. 26.
Lu. 1. 37.

RESPONSIO.

Explicatio & sententia hæc primum antiquissimo fidei nostræ symbolo contradicit, quo vnicam duntaxat omnipotentem naturam, ipsum

APÓSTOLICO.

sum videlicet Deum omnipotentem, agnoscimus & confitemur. Deinde, opinio hæccum ipsius Christi verbis minimè conuenit: Nam Christus non dicit, Meæ humanitati, sed MIHI^c, nempe Deo & homini, data est omnis potestas videlicet potestas seu officium saluatoris^d. Hoc autem officium exequitur Christus secundum vtramq; naturam, operante videlicet qualibet natura, citrà confusio- nem proprietatum, id, quod ei proprium est^e.

^c Mat. 22.

13.

^d Io. 13. 3.

Io. 17. 1.

Mat. 11. 27.

^e Rom. 1. 4.

Ioh. 10. 18.

Luc. 24. vers. 26. *Nonnè hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam.*

QVÆSTIO.

Quis est tertius symboli Apostolici articulus principalis?

RESPONSIO.

De Deo Spiritu sancto, de sanctificatione^a.

^a Gen. 1. 2.

1 Pet. 1. 2.

QVÆSTIO.

Quid credis de Deo Spiritu sancto?

RES-

DE SYMBOLO

RESPONSIO

a *Joh.* 15. 26. Credo quòd spiritus sanctus, ter-
Act. 4. 3. 4. tia diuinitatis persona, verus cum Pa-
1 Cor. 3. 16. tre & Filio Deus sit *a*, & quòd mihi da-
1 Cor. 12. 4. tus sit *b*, vt veram fidem, sanctificatio-
b Gal. 4. 6. nem, & fructus fidei in me accendat, &
c 1 Co. 12. 3. conferuet *c*.
Joh. 16. 9.
Gal. 5. 22.
1 The. 2. 13.
Gal. 5. 22.
Eph. 3. 14.

QVAESTIO.

*Quomodo iustus es coram Deo, seu,
 Quaratione te saluatum iri, & caelum ac
 vitam aeternam consecuturum esse confi-
 dis?*

RESPONSIO.

a Gal. 2. 16. Sola fide in Iesum Christum *a*,
Rom. 3. 22. cuius obedientia, meritum *b* & sacrifi-
 24. cium *c*, mea est coram Deo iusticia *d*, pro-
b Rom. 5. 19. pter quem ego remissionem peccato-
1 Pet. 2. 24. rum *e*, iusticiam *f*, Spiritum sanctum *g*,
c Eph. 5. 2. & vitam aeternam, accipio: Itatamen,
Heb. 10. 14. si in ipsum firma fide credam *h*.
d 1st. 3. 7.
e 1 Joh. 2. 12.
f Ro. 4. 5.
g Gal. 4. 6.
h 1 Joh. 3. 15.

QVAESTIO.

Vnde hoc scis?

RESPONSIO.

Ex illo symboli Apostolici arti-
 culo,

APOSTOLICO.

culo, in quo dico: *Credo remissionem peccatorum*: Item ex dicto Christi Ioan. 3.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

QVÆSTIO.

Quid est vera fides?

RESPONSIO.

Fides est certa noticia essentia & voluntatis diuinæ^a in verbo Dei patefactæ^b, & est fiducia^c, qua certò statuo, mihi remissionem peccatorum^d, iusticiam & vitam æternam à Deo^e propter Christum, gratis, donatam esse^f. Et hanc fidem Deus in electis, prædicatione Euangelij operatur^g.

a Iob. 17.3.
Io 6.40.
b Iob. 17.17.
c Ro. 5.1.
d 4.20.21.
e Act. 10.43.
f I Co. 1.30.
g Eph. 2.8.
Act. 13.48.
Rom. 10.17.
Io 6.29.
I Co. 2.10.
Rom 1.16.

QVÆSTIO.

Consequerisne simul per hanc fidem etiam veram communionem cum Christo ipso, & omnibus eius beneficijs, adeoq; cum Spiritu ipsius sancto, qui te ad nouam vitam sanctificat, & reformat?

C

RES-

DE SYMB. APOST.

RESPONSIO.

Vtiq; verò per hanc fidem simul
 communionem consequor cum ipso
 Christo^a & omnibus eius beneficijs^b,
 & subinde magis ac magis etiam cum
 Spiritu ipsius sancto^c, qui me ad vitæ
 nouitatem sanctificat & renouat^d, ita
 vt pariter per Christum iustus^e, & per
 Spiritum sanctum sanctificatus exi-
 stam^f. Sicut Christus inquit: *Sum in ijs &*
& do eis vitam eternam^h: Item: *membra*
sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossi-
bus eiusⁱ. Item. *Vos templum Dei estis^k, &*
spiritus Dei habitat in vobis^l. Item: *Per hoc*
cognoscimus, nos in eo habitare, & ipsum in
nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis^m.

QVAESTIO.

*Siquidem igitur sola fide in Christum
 iustus es coram Deo, quibus medijs erigis &
 confirmas hanc fidem & communionem cum
 Christo?*

RESPONSIO.

Per sequentia tria Christianæ do-
 ctrinæ capita, videlicet, per oratio-
 nem

DE PRAECATIONE

nem^a, & per deuotam auditionem ver-
bi diuini ex ordinarijs Ecclesiae mini-
stris^b, & per assiduam eiusdem verbi
meditationem^c, Nec non per vsum sa-
cramentorum^d.

a Mat. 7. 7.

b Heb. 13. 17.

Isa. 20. 23.

c I Cor. 3. 16.

d Math. 28.

20.

Luc. 22. 20.

I Cor. 11. 23.



III.

De Praecatione.

QVÆSTIO.

Quod est tertium Christiana doctrinae caput?

RESPONSIO.

Praecatio seu oratio Dominica.

QVÆSTIO.

Recita orationem Dominicam?

RESPONSIO.

Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in caelo, ita etiam in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Quia

C ij

tuum

DE PRECATIONE.

^a *Mat. 6. 9.* *tuum est regnum & potentia, & gloria in se-*
^{Lu. 11. 2.} *cula seculorum. Amen^a.*

QVÆSTIO.

Quid discis ex oratione Dominica, & que est utilitas inuocationis?

RESPONSIO.

^a *Deu. 6. 13.* Ex hac oratione Dominica disco,
^{Mat. 4. 10.} quòd nullam creaturam^a, aut sanctos
^{Apoc. 19. 10.} defunctos^b, neq; vllam imaginem vel
^b *Esa. 8. 19.* idolum^c, sed solum Deum^d patrem
^c *Psal. 11. 5.* in nomine Filij Iesu Christi^e, gratiâ
^{Exod. 20. 4.} Spiritus sancti^f, in vera fide^g, pro spi-
^d *Mat. 4. 10.* ritualibus & corporalibus bonis^h, in-
^e *Iob. 16. 23.* uocare debeamⁱ; certò statuens, quòd
^f *Io. 4. 23.* is me exaudiat^k, & omnia quæ ad ani-
^g *Ma. 21. 22.* mæ^l, & corporis salutem pertinent,
^h *Lu. 11. 13.* mihi suppeditet^m, tum vt ipsi pro col-
ⁱ *Ma. 26. 41.* latis beneficijs ex animo gratias agam.
^k *Psa. 145. 19.* Sicuti Christus ait: *Amen amen dico*
^l *Esa. 65. 24.* vobis, quæcumq; petieritis à patre in nomine
^m *Ma. 6. 31.* meo dabit vobisⁿ: Item: *Inuoca me in die*
ⁿ *Io. 16. 23.* tribulationis, & ego eripiam te, & tu glorifi-
^o *Psa. 50. 15.* cabis me^o.

DE



IIII.

De Ministerio clauium, seu
de Ministerio reconciliationis
cum Deo, & de pœnitentia
Christiana.

QVÆSTIO.

*Quod est quartum Christianæ doctri-
næ caput?*

RESPONSIO.

Ministerium clauium regni cœ-
lorum^a, seu Ministerium reconcilia-
tionis, cum Deo^b, & de pœnitentia
Christiana^c.

a *Ma. 16. 19.*

b 2 *Co. 5. 18.*

c *Ma. 3. 8.*

Mr. 1. 15.

QVÆSTIO.

*Quid sacra scriptura appellat clauis re-
gni Cœlorum, seu Ministerium clauium?*

RESPONSIO.

Cum ex mandato Dei ab ordinarijs
Ecclesiæ ministris^a verbum Dei doce-
tur^b, Sacramenta dispensantur^c, & cre-
dentibus vniuersis & singulis, omni-
um peccatorum suorum, propter meri-

a *Io. 20. 21.*

Ma. 16. 19.

b *Eze. 33. 7.*

1. Pet. 4. 11.

c 1 *Co. 11. 23.*

DE MINISTERIO CLAVIUM.

d L^{ca}. 24. 41. tum Christi, condonatio ^d, infidelibus
Acto. 13. 38. autem æterna damnatio denunciatur ^e;
Math. 9. 2. Et cū impœnitentes legitimo ordine
e Act. 8. 20. excommunicantur ^f, vbi autem pœni-
1 Cor. 5. 4. tentiam egerint, ijdem rursus in Ec-
Mat. 18. 15. clesiam recipiuntur ^g.
Eze. 18.
2 Cor. 2. 10.

Q V A E S T I O.

Recita verba de Ministerio clauium?

R E S P O N S I O.

Ioannis vigesimo capite sic legi-
tur: *Dominus Iesus afflauit discipulos suos,
& dixit eis: accipite Spiritum sanctum, quo-
rumcunq; remiseritis peccata, remittuntur
eis: quorumcunq; retinueritis, retenta
sunt.*

Q V A E S T I O.

Quid est Pœnitentia?

R E S P O N S I O.

Pœnitentia est verus pauor &
dolor cordis propter peccata, & est ve-
ra fiducia in Deo per fidem in Chri-
stum ^a, vnde veri fructus pœnitentiæ,
& bona opera sequuntur ^b. Sicut Chri-
stus

a Psal. 32.

*Psal*m. 51.

Efat. 53.

Eze. 18. 33.

b Ro. 12.

DE SACRAMENTIS

Itus inquit, *Resipiscite & credite Evangelio*^c. *Mar. 1. 15.*
Item Iohannes, facite fructus dignos pœni-
tentia^d. *Mar. 3.*



De Sacramentis in Genere.

Q V A E S T I O.

*Quibus præterea rebus, illa de gratuita
peccatorum remissione fides, veraq; illa cum
Christo communio confirmari & corroborari
potest?*

R E S P O N S I O.

Per legitimum vsum Sacramento-
rum^a. *a Act. 10. 47.*
Luc. 22. 19.
Rom. 4. 11.

Q V A E S T I O.

Quid sunt Sacramenta?

R E S P O N S I O.

Sacramenta sunt signa^a gratiæ, *a Ge. 17. 11.*
seu, sacramenta sunt sacra & visibi- *Exo. 12. 13.*
lia signa & sigilla^b, in externis diui- *b Ro. 4. 11.*
nitus institutis actionibus, ex mandato *c Gen. 17. 7.*
Dei, promissioni Euangelij annexa^c, *Exo. 12.*
quæ nos tanquam signa commune faci- *Mar. 16. 16.*
unt, & tanquam sigilla certificât, & si-
mul cum verbo gratiæ infirmam no-
stram fidem confirmant & testificantur^d, *d Act. 8. 16.*

DE SACRAMENTIS

e Col. 2. 11. quod nos, qui promissioni Euangelij
 fi Pe. 2. 21. credimus^e, tam certò remissionem o-
 gi Co. 10. 1. mnium nostrorum peccatorum, pro-
 16. pter vnicum Christi sacrificium^f, tum
 h Ro. 8. 32. viuificam communionem cum Chri-
 i Eph. 2. 8. sto^g, & cum omnibus ipsius benefi-
 k Ro. 2. 29. cijs^h, gratisⁱ, per operationem Spiritus
 l Eph. 4. 13. sancti^k, habeamus & accipiamus: adeo-
 m Mr. 16. 16. què magis ac magis in ijs locuplete-
 Luc. 22. 19. mur^l, quàm certò nos visibilia illa si-
 gna secundum Dei institutionem v-
 Jer. 4. 4. surpamus^m: Atq; ita nos ipsi vicissim,
 n Ies. 1. 11. quòd ei in vera agnitione, fide, gratia-
 16. rum actione, nouitate vitæ, & dilectio-
 Mat. 3. 7. 8. ne proximi, seruire velimus, obstrin-
 1 Cor. 11. 28. gimusⁿ.

Q V A E S T I O.

Quot sunt res in quolibet Sacramento?

R E S P O N S I O.

a Ge. 17. 11. Duæ: terrena nempe, quæ est ip-
 Ex. 12. 13. sa externa ceremonia, vtpote signum^a.
 Ma. 3. 11. & res cœlestis, quæ est vera Christi
 1 Co. 11. 26. ipsius meriti, efficacix, & omnium be-
 b Ge. 17. 7. neficiorum communio, vtpote signa-
 Ex. 12. 13. tū, seu res significata^b. Ac externa qui-
 Ma. 3. 11. dem
 1 Co. 10. 16. c 1 Co. 10. 1.
 Col. 2. 11. Heb. 13. 8.
 Apo. 13. 8.

I N G E N E R E.

dem signa varia sunt, res verò cœlestis in omnibus sacramentis vna & eadem est, videlicet promissio Euangelij, hoc est: Iesus Christus eiusdemq; vera & viua communio^c.

Q V Æ S T I O.

Quis administrat in sacramentis rem externam, & quis operatur rem cœlestem?

R E S P O N S I O.

Externam rem distribuit & exhibet minister Ecclesiæ^a, internam verò dat & largitur ipse Deus^b: Sicut scriptum est: *Dominus Deus tuus circumcidet cor tuum^c*.

^a Mr. 1. 8.

¹ Cor. 10. 16.

^{Lu.} 3. 16.

^b 1o. 6. 51.

^c Deu. 30. 6.

Q V Æ S T I O.

Quo instrumento accipit homo id, quod est terrenum, & quo instrumento accipit id, quod est cœleste?

R E S P O N S I O.

Homo externa visibilia signa membris corporis^a: sed internum, cœleste & significatum, propriè non corpore, sed fide duntaxat accipit^b. Cœleste enim donum in omnibus sacramentis, est promissio Euangelij, seu commu-

^a Ge. 17. 12.

^{Ex.} 12. 11.

¹ Pet. 3. 21.

¹ Co. 13. 27.

^b Ro. 4. 17.

¹ Co. 10. 1.

^{Heb.} 11. 6.

^{Mr.} 16. 16.

C S nio

DE SACRAMENTIS

c Ioh. 3. 16. nio Christi *c*, quæ non aliter, quàm per
x Ioh. 1. 3. fidem apprehendi potest *d*. Ex quo li-
d Heb. 11. 6. quidò constat, quòd increduli & hy-
e Ro. 2. 28. pocritæ, cœleste donum in Sacramen-
Mar. 16. 16. tis, nequaquam accipiant *e*.
2 Cor. 6. 14.
Ioh. 6. 53.
1 Cor. 11. 26.

27.

QVÆSTIO.

*Quæ est ratio & forma loquendi in Sa-
 cramentis?*

RESPONSIO.

a Gen. 17. 7. Hæc est sacræ scripturæ familiaris
Exod. 12. 11. & vsitata in sacramentis loquendi ra-
Mat. 26. 17. tio, quòd videlicet ipsi signo tribuitur
Tit. 3. 4. nomen rei signatæ *a*, idq; non ideò,
Luc. 22. 19. quòd signa in rem seu cœlestem istum
1 Cor. 10. 4. thesaurum, videlicet rem signatam,
b *1* Pet. 3. 21. transmutentur *b*, aut quòd res cœle-
1 Cor. 10. 17. stis, substantialiter in vel sub signo oc-
c *1* Cor. 10. 1. cultetur *c*, aut quòd signa peculiarem
d *Mat.* 3. 11. quandam vim & efficaciam consequan-
1 Cor. 10. 21. tur *d*: sed propterea quòd signa rem
Mar. 16. 16. cœlestem primùm significant, deinde
Acto. 7. 48. etiam obsignent atq; confirment *e*.
Ro. 4. 9. 10.
Mar. 10. 14.
1 Cor. 11. 29.
e *Ro.* 4. 11.
1 Pet. 3. 21.

Nota: hanc de Sacramentis
 loquendi formam, ministri Ecclesiæ
 fusius sic explicabunt.

Hoc

I N G E N E R E.

Hoc sensu circumcisio appellatur ipsum
 fœdus^a, & explicatur, quòd signum & sigil-
 lum sit fœderis^b.

a Ge. 17. 10.

b Genes. 17.

10. 11.

Sic agnus pascalis nominatur transitus,
 seu Passah^c & explicatur, quòd sit symbolum
 & memoria transitus^d.

c Ex. 12. 11.

d Exo. 12. 13.

14. 21.

Similiter Baptismus appellatur salus^e: Et
 à Christo explicatur: Qui crediderit & ba-
 ptizatus fuerit, saluus erit^f.

e 1 Pet. 3. 21.

f Mr. 16. 16.

Eodem modo panis dicitur esse corpus
 Christi^g, & explicatur quòd esus panis fiat in
 recordationem ipsius Christi^h.

g 1 Co. 11. 23.

h Lu. 22. 19.

Ex quo videre est, quòd sacramenta ne-
 quaquam sint nuda & inania signaⁱ, sed
 quòd sint signa, quibus Deus in usu legitimo
 simul cœlestia bona, puta ipsum Christum ex-
 hibet & communicat^k: ita ut unio cum
 Christo per usum Sacramentorum certior,
 vberior, & firmior reddatur^l.

i Job. 3. 5.

k Job. 6. 51.

l 1 Co. 10. 16.

Job. 13. 2.

Q V A E S T I O.

Cur, & ad quos fines sacramenta sunt
 instituta, seu, quæ utilitas & consolatio ex
 usu eorum percipitur?

R E S P O N S I O.

Sacramenta instituta sunt ad cõ-
 firmationem fidei; quæ nos tanquam
 signa

DE SACRAMENTIS

signa commonefaciunt, & tanquam sigilla certificant, & simul cum verbo gratiæ infirmam nostram fidem confirmant^a & testificantur, quòd nos, qui promissioni Euangelij credimus, tam certò remissionem omnium nostrorum peccatorum propter vnicum Christi sacrificium^b, tum viuificam communionem cum Christo, & cum omnibus ipsius beneficijs^c, gratis^d, per operationem Spiritus sancti habeamus & accipiamus, adeoq; magis ac magis in ijs locupletemur, quàm certò nos visibilia illa signa secundum Dei institutionem vsurpamus.

Deinde, Sacramenta etiam ideò instituta sunt, vt Christiani ijs Sacramentis, tanquam certis notis^a & fidei suæ confessione^b ab omnibus alijs gentibus & sectis discernantur & agnoscantur^c.

Tertiò, vt ipsa quoq; doctrina per vsum Sacramentorum in Ecclesia conseruetur, & ad posteros vsq; transmittatur^d.

Quartò, vt Sacramenta sint vincula

^a Ro. 4. 11.

Heb. 11. 28.

1. Per. 3. 21.

Luc. 22. 19.

^b Mr. 16. 16.

^c 1 Cor. 10. 1.

^d Ephe. 2. 8.

^a Gen. 17. 14.

Exo. 12. 25.

Math. 28. 19.

Luc. 22. 19.

^b Act. 11. 17.

^c 1 Co. 11. 21.

^d Ma. 28. 19.

Cor. I. 1. 26.

I N G E N E R E.

cula mutuae & fraternae inter nos qui
vnius corporis membra sumus, dile- ^{c 1 Co. 10. 17.}
ctionis ^e.

Q V A E S T I O.

*Quot instituit Dominus noster Iesus
Christus in nouo Testamento sacramenta?*

R E S P O N S I O.

Duo, nempe sacramentum Bapti- ^{a Mat. 28.}
smi ^a, & sacramentum coenae Domini ^b. ^{19.}
^{b Mat. 26.}
^{26.}



V.

De Sacramento Baptismi.

Q V A E S T I O.

*Quod est quintum Christianae doctri-
nae caput?*

R E S P O N S I O.

Sacramentum Baptismi.

Q V A E S T I O.

Quid est Baptismus?

R E S P O N S I O.

Baptismus est Sacramentum,
seu sacrum & visibile signum ac sigil-
lum

DE SACRAMENTO

^a *1 Pet. 3. 21.* lum noui Testamenti^a, videlicet ex-
^b *Mat. 3. 11.* terna aquæ ablutio ex mandato Christi
^c *Act. 8. 36.* infantibus & adultis^b in nomine pa-
^d *Act. 10. 47.* tris, & filij & Spiritus sancti admini-
^e *Ma. 28. 19.* strata^c, & promissioni Euangelij an-
^f *Mr. 16. 16.* nexa^d, quæ me tanquam signum com-
^g *Gal. 3. 26.* monefacit, & tanquam sigillum confir-
^h *Mr. 16. 16.* mat, & in fide erigit & consolatur^e.
ⁱ *1 Cor. 6. 11.* quòd ego per fidem & operationem
^j *1 Ioh. 1. 8.* Spiritus sancti^f, tam certò, sanguine
^k *Iob. 3. 5.* & spiritu Christi, ab omnibus meis
^l *Tit. 3. 5.* peccatis ablutus^g, ad ius filiorum Dei
^m *Coloss. 2. 11.* regeneratus^h, ipsi Christo ad veram &
ⁿ *1 I Cor. 6. 11.* viuificam communionem in situs, san-
^o *1 Cor. 12. 13.* ctificatusⁱ, & membrum Ecclesiæ ipsi-
^p *Act. 1. 5.* us factus sim^k: quàm certò extrinse-
^q *Iob. 1. 31.* cus in corpore aqua sum ablutus^l. Atq;
^r ita me ipsi vicissim, quòd ei in vera ag-
^s nitione, fide, gratiarum actione, no-
^t uitate vitæ & dilectione proximi ser-
^u uire velim, obstringo^m.

QVÆSTIO.

*Recita verba institutionis Baptismi,
 quibus promittit Christus, quòd is tam certò
 sanguine & spiritu suo ab omnibus peccatis
 tuis*

BAPTISMI.

tuis, te abluerit, quàm certò aqua Baptismi extrinsecus ablutus es?

RESPONSIO.

Dominus noster Iesus Christus sic inquit Matthæi ultimo: *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: qui crediderit & baptizatus fuerit, is saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur^a.* a Mr. 16. 16.

QVÆSTIO.

Quotuplex est ablutio in Baptismo?

RESPONSIO.

Duplex. Externa ablutio aquæ^a, a 1^a Pe. 3. 21.
& interna seu spiritualis, quæ fit per b Mat. 3. 11.
sanguinem Christi, operatione Spiritus sancti^b. Iob. 1. 3.
Tit. 3. 5.

QVÆSTIO.

*Quis administrat externam ablu-
tionem, & quis operatur internam?*

RESPONSIO.

Externam ablu-
tionem minister
Ecclesiæ administrat: internam verò
ipse Deus operatur^a, sicuti Iohannes
dicit^b. *Ego baptizo vos aqua ad resipiscen-
tiam, is verò qui post me venit fortior me est,* a Ma. 28. 19.
Tit. 3. 5.
b Ma. 3. 11.
Marc. 1. 8.
Eph. 5. 26.

CUIUS

DE SACRAMENTO

*cuius non sum dignus, qui soleas portem: ipse
vos baptizabit Spiritu sancto & igni.*

QVÆSTIO.

*Quo instrumento externa ablutio ac-
cipitur, & quo instrumento accipitur alutio
cœlestis?*

RESPONSIO.

Externa aquæ ablutio corpore
^a *1 Pet. 3. 21.* externo ^a; interna autem & spiritua-
^b *Act. 8. 37.* lis purificatio, fide tantum accipitur ^b.
^c *Mr. 16. 16.* Sicut Christus inquit: Qui crediderit
& baptizatus fuerit, is saluus erit: ^c Ex
quo liquidò constat, quod increduli &
hypocritæ internam ablutionem per
^d *Act. 8. 20.* sanguinem Christi nequaquam acci-
^e *Mar. 16. 16.* piant ^d.

QVÆSTIO.

*Quæ est ratio & forma loquendi in
Sacramento Baptismi?*

RESPONSIO.

Quòd videlicet, aqua, seu exter-
^a *Tit. 3. 5.* nus aquæ baptismus nominatur ipsa
^b *Act. 22. 16.* regeneratio & renouatio per Spiritum
Eph. 5. 26. sanctum ^a: Quòd item aqua abluat
Gal. 3. 26. peccata ^b, & nos saluos faciat ^c: idq; non
^e *1 Pet. 3. 21.* ideo,

BAPTISMI.

ideò, quòd aqua in ipsam regeneratio-
 nem, & sanguinem Christi, vel Spiri- d 1 Ioh. 1. 8.
 tum sanctum transmutetur ^d, aut quòd 1 Pet. 1. 2.
 sanguis Christi & spiritus sanctus sub-
 stantialiter in vel sub aqua occul- e Mat. 3. 16.
 tentur ^e, aut quòd aqua peculiarem quan-
 dam vim & efficaciam operandi illam f 1 Pe. 1. 3. 23.
 regenerationem & remissionem pec- 1 Ioh. 1. 7.
 catorum consequatur: Sed propterea, Apoc. 1. 5.
 quòd externum illud aquæ lauacrum, Mar. 10. 14.
 ablutionem peccatorum per sangui- Act. 2. 41.
 nem Christi, & renouationem Spiritus Act. 8. 37.
 sancti, primùm significet, & deinde e- Act. 10. 47.
 tiam obfignet atq; confirmet. ^g Quem- Gal. 3. 26.
 admodum ipse Christus hoc explicat: 1 Pet. 3. 21.
Qui crediderit & baptizatus fuerit, is sal-
uus erit &c ^h. Mr. 16. 16.

Q V A E S T I O.

*Cur & ad quos fines institutus est Ba-
 ptismus, seu, quæ utilitas & consolatio inde
 ad te redit, quòd aquâ baptizatus es?*

R E S P O N S I O.

Primò: Baptismus institutus est
 ad confirmationem fidei ^a: Qui me a Mr. 16. 16.
 tanquam signum commonefacit, & tan-
 quam sigillum confirmat, & in fide e-
 rigit.

DE SACRAMENTO

rigit, & consolatur, quòdego per fidem & operationem Spiritus sancti, tam certò sanguine & spiritu Christi ab omnibus meis peccatis ablutus, ad ius filiorum Dei regeneratus, ipsi Christo ad veram & viuificam communionem insitus, sanctificatus, & membrum Ecclesiæ ipsius factus sim: quàm certò extrinsecus in corpore aqua sum ablutus ^b.

^b 1 Pet. 3. 21.

Gal. 3. 26.

1. Cor. 12. 13.

Deinde Baptismus nota est, qua Ecclesia ab alijs gentibus & sectis in doctrina & confessione discernitur & agnoscitur ^c.

^c Matt. 28.

18.

^d Rom. 6. 4.

Tit. 2. 14.

Math. 3. 7. 8.

1. Co. 12. 11.

Tertiò: Baptismus nos commune facit de mortificatione & abolitione peccatorum, & ambulatione in nouitate vite ^d.

Quartò: Baptismus est vinculum mutue & fraternæ dilectionis ^e, Et simul etiam est commune factio crucis & liberationis ex cruce ^f.

^f Ma. 20. 23.



VI.

De Sacramento sacræ Coenæ.

QVAE-

SACRÆ COENÆ.

QVÆSTIO.

Quod est sextum Christianæ doctrinæ caput? a Luc. 22. 20. Cor. II. 239

RESPONSIO.

Sacramentum Cœnæ Domini^a?

QVÆSTIO.

Quid est Cœna Domini?

RESPONSIO.

Cœna Domini est sacramentum, a Mat. 26. 269
seu sacrum & visibile signum & sigil- Mar. 14. 22.
lum noui Testamenti, videlicet exter- Luc. 22. 19.
nus & publicus ritus & ceremonia^a, b Eph. 4. 139
quæ nos, qui in Christo indies cresce-
re & proficere debemus^b, per esum
panis & potum vini, ex mandato Chri-
sti promissioni Euangelij annexū, tan- c I Co. II. 28.
quam signum commonefacit, & tan- Mat. 26. 269
quam sigillum confirmat, & simul cum d Ephe. 3. 17.
verbo gratiæ certificat^c, quòd nos per
fidem & operationem Spiritus sancti^d, e Iob. 6. 47.
tàm certò, corpore & sanguine Christi Mar. 14. 22.
pro nobis in remissionem peccatorum Rom. 4. 25.
tradito & effuso^e, in famelicis & si- f Mat. II. 28.
tibundis nostris animabus^f, ad viuifi- g I Co. II. 24.
cam cum Christo communionem ci- 1 Cor. 10. 169
bemur & potemur^g; quàm certò panem
hunc & vinum hoc ore corporis perci-

DE SACRAMENTO

hⁱ Co. 11. 27. panis h. Atq; ita nos ipsi vicissim,
 i Job. 17. 3. quòd ei in vera agnitione i, fide k,
 k Job. 6. 35. annunciatione mortis ipsius l, gratia-
 l I Co. 11. 26. rum actione m, nouitate vitæ, & dile-
 m Col. 3. 17. ctione proximi, seruire velimus, ob-
 n I Co. 5. 7. stringimus n.
 Ephes. 5. 1.
 I Cor. 11. 28.

Q V A E S T I O.

Recita verba institutionis Sacrae cænae, quibus promisit Christus, quòd is tam certò corpore & sanguine suo te cibet & potet, quàm certò pane & vino hoc, extrinsecus cibaris & potaris?

R E S P O N S I O.

*Sic scribunt sancti Euangelistæ.
 Dominus noster Iesus Christus in ea nocte, quâ traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis, dicens. Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, hoc facite in mei recordationem. Similiter & postquam cœnauit accepto calice cum gratias egisset, dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem.*

Q V A E-

SACRÆ COENÆ.

QVÆSTIO.

*Quotuplex est cibus & potus in Sacra
cæna?*

RESPONSIO.

Duplex: Externus, videlicet pa-
nis & vinum ^a, Et internus seu cœle-
stis, videlicet corpus & sanguis Chri-
sti, cum omnibus beneficijs ipsius ^b.

^a 1 Cor. II. 28.

Mat. 26. 26.

^b 1 Co. 10. 16.

Rom. 8. 32.

Ioh. 6. 56. 57.

QVÆSTIO.

*Quis porrigit & distribuit externum
cibum & potum, & quis propriè largitur in-
ternum, nempe corpus & sanguinem Christi?*

RESPONSIO.

Externum cibum Minister Ec-
clesiæ distribuit ^a: internum verò &
cœlestem ipse Christus largitur: Sicut
ipse inquit. *Panis quem ego dabo caro mea
est* ^b.

^a 1 Co. 10. 16.

1 Co. 3. 6. 7.

^b Ioh. 6. 51.

QVÆSTIO.

*Quo instrumento edimus & bibimus
externum cibum & potum, & quo instru-
mento manducamus & bibimus Christum
& ipsius corpus & sanguinem?*

D 3

RES-

DE SACRAMENTO
RESPONSIO.

Externum cibum & potum man-
ducamus ore^a, cœlestem verò, fide ac-
cipimus^b. Nam corpus & sanguis Chri-
sti sunt cibus & potus animæ^c, & non
corporis^d, ex quo liquidò cōstat, quòd
increduli & hypocritæ corpus & san-
guinem Christi nequaquam edant &
bibant^e.

QVÆSTIO.

*Quæ est ratio & forma loquendi in
sacramento sacre Cœnæ?*

RESPONSIO.

Quòd videlicet signum, seu exter-
nus panis & vinum, nominantur i-
psum cœleste & promissum bonum,
nempe corpus & sanguis^a, siue com-
municatio corporis & sanguinis Christi^b,
idq; non ideò, quòd panis & vinum in
iplum corpus & sanguinem Christi
transmutētur^c, aut quòd corpus & san-
guis substantialiter in vel sub panē &
vino occultentur^d, aut quod panis &
vinum singularem quandam vim & ef-
ficaciam operandi ipsam remissionem
pecca-

SACRÆ COENÆ.

peccatorum, & communionem cum
 Christo consequantur^e: sed propterea^c Eph. 1.7.
 quòd externus ille esus & potus panis^f Ioh. 4.10.
 & vini^f, remissionem peccatorum, per Rom. 5.2.15.
 crucifixum Christi corpus & fufum ei- I Co. 11.28.
 us sanguinem acquisitam^g, & commu- g Colo. 1.21.
 nionem eorundem^h, primò significet, Luc. 22.19.
 deinde etiam obfignet atq; confirmetⁱ, h I Co. 10.16.
 quemadmodum ipse Christus hoc ex- i I Co. 11.29.
 plicat^k. Hoc facite in mei recorda- k Lu. 22.20.
 tionem: Et Paulus^l, quotiescunq; e- l I Cor. 11.26.
 deritis panem hunc, & poculum hoc
 biberitis, mortem Domini annunciate
 vsq; quò venerit.

Q V A E S T I O.

*An non corpus Christi in Cœna ore
 externo comeditur, quando quidem Christus
 dixit: Edite, hoc est corpus meum, Esus au-
 tem non aliter quàm ore fieri consuevit?*

R E S P O N S I O.

Christus propriè panem, quem
 accepit, fregit, & discipulis dedit, a Ma. 26.26
 ore externo manducari iussit^a. Quòd Mar. 14.22.
 verò panem, suum corpus nominat, Luc. 22.19.
 id fit more loquendi in Sacramentis I Cor. 11.24.
I Cor. 10.16.

D 4 vsitato,

DE SACRAMENTO.

vfitato, non quidem eò, quòd corpus
b Matt. 26. substantialiter in vel sub pane fit ^b &
 20. edatur ^c (corpus enim Christi iam in
Ioh. I. 14. cœlis est ^d) sed propterea, quòd panis,
Luc. 22. 20. spiritualem illam escam & potum, siue
1 Co. 11. 28. communionem corporis & sanguinis
d Ebr. 8. 1. Christi nobis repræsenteret, atq; obfi-
Colo. 3. 1. gnet ^e. Communio autem illa corporis
1 Cor. 11. 25. Christi, promissio est ^f, quæ nec potest
 26. nec debet aliter accipi, quàm fide ^g.
1 Cor. 10. 1. Præterea Christus non propter panem
 16. & vinum, sed propter hominem cre-
f Ioh. 6. dentem adest in cœna ^h. Nam pani &
g Heb. 11. 6. vino nulla promissio facta est in cœ-
Gal. 3. 11. na, sed fideli homini ⁱ. Id quod & Pau-
Ephe. 3. 17. lus ostendit cum dicit ^k, panem fra-
h Ioh. 3. 16. ctum talem esse communionem corpo-
1 Heb. 2. 14. ris & sanguinis, qua vnum corpus mul-
Luc. 22. 19. ti sumus, & quæ communio cum com-
1 Cor. 11. 27. mune Dæmoniorum consistere non
1 Co. 10. 16. potest. Itaq; communio illa non cor-
 14. poralis cum pane ^l, & cum infidelibus
n Ephe. 3. 17. & hypocritis ^m, sed spiritualis cum cre-
1 Cor. 12. 13. dētibus, communio, vt sit, necesse est ⁿ.
1 Cor. 6. 16.
1 Ioh. 3. 24.

QVÆSTIO.

Qua verò ratione corpus Christi edi
 & san-

SACRÆ COENÆ.

& sanguis eius bibi potest, si ea non in vel sub pane & vino, sed suprâ in cælo existunt?

RESPONSIO.

Imò verò optimè. Primò enim totum ministerium & ipsa sacramenta^a eò diriguntur, vt conuersatio nostra in cœlis sit^b, & vt quæramus ea, quæ suprâ sunt, vbi Christus est^c. Deinde fides id ipsum, quod ratione loci & temporis longè à nobis remotum est, optimè capit & apprehendit^d. Sicut sancti Apostoli in prima cœna fufum Christi sanguinem, reuera, iam tùm biberunt^e, qui tamen sequenti demum die, reuera in cruce effusus fuit^f, vt hoc modo manducatio illa spiritualis, minimè verò corporalis existat, in qua corpus Christi fide, non autem ore corporeo manducatur^g.

^a Lu 24. 27.

^b Mar. 16. 16.

^c I Cor. 11. 26.

^d 27.

^e Phil. 3. 20.

^f Col. 3. 1.

^g Hebr. 11. 13.

13.

^e Mr. 14. 23.

^f Iob. 19. 34.

^g Iob. 6. 35.

ⁱ Co. 11. 28.

^{Ephe.} 3. 17.

^{Iob.} 58. 62. 83.

QVÆSTIO.

Cur & ad quos fines instituta est sacra Cœna, seu quæ utilitas & consolatio inde

D 5 ad te

DE SACRAMENTO.

*ad teredit, quòd de pane hoc manducas, &
de poculo hoc bibis?*

RESPONSIO.

Primò: Sacra cœna instituta est ad confirmationem fidei, quæ me, qui in Christo indies crescere & proficere debeo, per esum panis & potum vini ex mandato Christi, promissioni Evangelij annexum, tanquam signum commonefacit, & tanquam sigillum confirmat ^a, & simul cum verbo gratiæ certificat, quòd ego per fidem & operationem Spiritus sancti, tam certò corpore & sanguine Christi ^b, pro nobis in remissionem peccatorum tradito & effuso ^c, in famelica & sitibunda mea anima ^d, ad viuificam cum Christo communionem ciber & poter ^e: quàm certò panem hunc, & vinum hoc, ore corporis percipio ^f.

Deinde sunt alij quoq; fines, & utilitates Sacræ cœnæ: nempe, vt ea nos ad gratiarum actionem pro tantis beneficijs inuitet atq; exuscitet ^g.

Tertiò, vt sit neruus publicæ congregationis, in qua Euangelium prædicetur

a) *Co. 11. 28.*

b) *Ephe. 3. 17.*

Job. 6. 47.

c) *Ma. 26. 28.*

Rom. 4. 25.

d) *Ma. 11. 28.*

e) *Co. 10. 16.*

Job. 6. 56.

f) *Cor. 11. 28.*

g) *Lu. 22. 19.*

SACRÆ CŒNÆ.

dicetur, homines doceantur, Deus in-^h i Cor. II. uocetur^b, & Christiani doctrinæ suæ ^{26. 33.} confessionem edantⁱ. ^{i i Co. 10. 19.}

Quartò, vt fit vinculum mutuae amicitiae & dilectionis inter Christianos^k, vt qui vnius corporis nempe Iesu Christi seruatoris nostri membra^l existant^l, de quo sine Paulus ait: Quo-^k i Iob. 3. 16. ^l Rom. 12. 4. ^l i Cor. 12. 12. ^l Eph. 4. 15. niam vnus panis, vnum corpus multi sumus, quia omnes vnius panis finis participes^m. ^m i Cor. 10. 17.

QVÆSTIO.

Quid debes ad sacram hanc Cœnam adferre, seu quomodo te ad Cœnam prepara- bis, vel quomodo dignè sacra Cœna uteris?

RESPONSIO.

Ego præter externum os, & morum honestatem^a, etiam internum os, vi-^a i Co. II. 17. delicet fidem adferre debeo: ita vt me ipsum rectè probem, peccata mea agnoscam, in Iesum Christum credam eum inuocem, eiq; gratias agam^b: tum vt b) i Co. 11. 28. proximo reconcilier^c, institutionē & c) Mat. 5. 23. consolationē à ministro verbi petam^d, d) Iob. 20. 21. cum studio & serio animi proposito fugiendi peccata, & vitam ex voluntate e) Iob. 5. 14. Dei instituendi^e. ^e Math. 5. 16.

QVÆ-

DE SACRAMENTO

QVÆSTIO.

*Qui sunt precipui Idolatrici sacre
cœna abusus apud Pontificios?*

RESPONSIO.

Papistæ fingunt, quòd sacrificuli
Christum quotidie in missa offerant,
& per hoc opus mereantur remissio-
nem peccatorum viuis & mortuis.
Tum comminiscuntur, quòd panis in
corpus Christi transubstantietur, &
quòd corpus Christi de nouo per sacri-
ficulum creetur, ita vt id sub speciebus
panis existat & adorari debeat.

Deniq; cœnam Domini mutilant,
& alteram partem, nempe calicem,
non absq; sacrilegio, laicis eripiunt.

Contra verò firma fide tenendum
est, quòd solum & vnicum sacrificium
Christi, semel in cruce peractum, suf-
ficiens precium & λύτρον sit pro omni-
bus nostris peccatis^a, quòd sacrificium
non aliter, nisi per fidem, ad commu-
nionem cum Christo, per operationem
b *Eph.* 2. 17. Spiritus sancti, apprehendi atq; appli-
cari potest^b.

Scien-

SACRÆ COENÆ.

Sciendum etiam est, quòd Christi corpus, quod is semel in vtero Mariæ virginis assumpsit^c, non sub pane, vel sub speciebus panis^d, sed corporaliter in cœlo nunc existat^e, & quòd ibi in spiritu & veritate adorari debeat^f. Deniq; obseruandum est, quòd Christus non solùm cibus noster, sed ad omnimodam refectionem, etiam potus noster esse velit^g: qua de causa etiam bibitionem sanguinis sui in sacra cœna instituit^h. Cuius ordinatio & mandatum, nullis traditionibus hominum, neq; per Pontificem Romanum, neq; per concilia infringi aut mutari, debet aut potestⁱ.

c I. u. c. 2. 31

d Ma. 26. 26

e Acto. 1. 11

Coloff. 3. 1.

Phil. 3. 20.

f Ioh. 4. 23.

Acto. 7. 55.

g Ioh. 6. 55.

h Lu. 22. 20

Mar. 14. 2.

i Gal. 1. 8.


Mat. 28. 20

Act. 4. 19.


Act. 5. 29.

F I N I S.

*Sit lectio cura cuiuslibet sua,
Statum domus sic sortietur optimum.*











L10³⁰
—
218

(x 220 0874)

56.





B.I.G.

Farbkarte #13

PIA ET NE-
CESSARIA DECLA-
RATIO CATECHISMI, EX
verbo DEI in breues quaestio-
nes & responiones
digesta.

*QVO PACTO ILLAE IN
DVCATV BIPONTINO, EX
mandato summi ibidem Magistratus, ab
Ecclesiarum & Scho'arum ministris, ad
Populum & iuventutem exerceri debeant,
eo fine, vt ab idolatria, superstitione, & fal-
sa doctrina, sibi cauere melius quisq; possit.*



Verbum DEI manet per omne seculum,

ANNO clō IO XIIC.